adeoque hoc infamia sit irregularitas quae incurritur
in poenam delicti, sed potius ob indecentiam facti: ubi infamia
facti non requirit dispensationem ut tollatur, sed tantum emendationem
facti et poenitentiam sufficientem requirit, et ipso facto sublatam.
at vero infamia iuris requirit dispensationem ut tollatur:
et si infamia facti petit dispensationem, id tamen fit, quia habet ad-
mixtam infamiam iuris: cum certum sit, quod utraque haec infamia
facti et iuris inducat irregularitatem, quia indecens est, ut reus
criminis vel suscipiat ordines vel ministret in ministerio sacro:
superest, ut loquamur de dispensatione huius irregularitatis.

171. Qualiter ergo talis infamia et alia irregularitas ex ea
contracta tollatur. Dicendum est ex modo dictis: infamia facti tolli
per emendationem petitam, quia cessante causa cessat etiam effectus, iuxta
cap. cum cessante de appellationibus: et sic post correctionem et poeniten-
tiam talis potest suscipere ordines, ut habetur cap. si qui voluerint
cau. 1. q. 7. ubi Novatiani redeuntes ad Ecclesiam possunt or-
dinari. Deinde tollitur per baptismum, quia baptismus omnia peccata
tollit, et omne illud, quod oritur ex peccatis in quantum peccata sunt: at vero
infamia iuris petit dispensationem, cum habeat rationem poenae positivae,
adeoque si quis iudaeus fuisset flagellatus ante baptismum, nec
per baptismum tolleretur haec infamia iuris: dispensare autem
super huiusmodi poenis, et tollere infamiam iuris est ex iure canonico.

UNIVERSITÄTS-BIBLIOTHEK HEIDELBERG
© Universitätsbibliothek Heidelberg
http://digi.ub.uni-heidelberg.de/diglit/salVIII66/0820
gefördert durch Baden-Württemberg